

Plin. H. N. detur. Lignum si eo confricetur, l. 32. c. 10. ardere videbitur, ut sua luce facula- lam quoque vincat. Rondeletius invenit substantiam quandam saxis haerentem, corio duro et nigro in-tectam, intus mollem fungosam et fistulosam aplysiarum modo. Vel inquit pulmo marinus dici potest, corpus quoddam rotundum, pilae marinae modo, virescens, foris sub-stantia filtro simile, intus totum fi-stulosum, veluti spongia aplysia. In mari aqua plenum est et grave: ex-tra mare in se concidit, et flacce-scit: in saxonum rimis delitescit et inter algas.

Aldrov. l. 4. c. 4. Holothuriorum nomen unde ve-niat, nescimus. Pauca etiam de iis veteres. Saxis soluta esse, sed im-mobilia, asperoque corio contegi. Rondeletius duas nobis icones exhibuit, cum his descriptionibus. Id genus, inquit, quod hic proponi-mus, altero extremo obtusum est

et planum, in quo rosae sculptam imaginem dicas, circa quam sunt acetabula. Inde parva appendix et mollis dependet. Pisculentum odorem resipit, nec minus ingratum et insuavem ac lepus marinus: altero extremo tenuius est; intus, partes omnes sunt indiscretae. Altero ex-tremo caput habere videtur rotun-dum, os in medio rotundum, rugo-sum, quod aliquando dilatatur, ali-quando constringitur. Sequitur cor-pus crassius, aculeis multis rigens: videtur in caudam deficere, ex cu-jus utraque parte duae sunt appen-dices pedum pinnarumve loco, sed differentes. Superior enim strictior est, in ambitu incisa, in acutum de-finens, ad quam a cervice produc-ta est linea; altera latior ubique. Harum beneficio motum habere videtur, cuius prorsus expers est primum genus: quod aliquando acetabulis suis saxis haeret, sed solvitur.

CAPVT III.

De Tethyis.

TAB. XIX. et XX. *Nomen.* **T**ethyia seu ut Plinius vult, Te-theae, veteribus Graecis τήθεα, et τήθια, modernis Spherdocles, a sphæra sine dubio; Adriatici sinus accolis spongiae, quia, cum premun-tur, spongiarum instar, aquam fo-raminibus reddunt; Tarentinis, pro-pter formam et parvos quosdam anfractus verticilla; aliis a colore et tumore, seu quod nullis fibris, ut Tubera terrena niti crediderint, Tubera; quibusdam, quod callosa materia tegantur Calli; nonnullis, sed falso, idque ex comparatione patere potest, Urticae vocantur. Gaza cum Holothuriis confundit, Eustathius et Homeri scholia-tes τὰ τήθεα ab Ostreis non distin-guunt. Nicander τὰ τήθη, patellas feras explicat.

Descriptio. Aristoteles ita eas descriptis. Quae Arist. H. A. l. 4. c. 2. Tethya five callos speciali nomine a tegminis qualitate appellamus, na-turam inter haec genera (Testato-

rum) peculiarem sortiri notum est. Iis enim folis corpus toto tegumento includitur, cuius durities inter te-stam et corium est: quamobrem mo-re praeduri bubuli tergoris secatur. Adhaeret id genus saxis sua testa. Duo a se invicem distantia forami-na habet, admodum exigua, et vi-sum vix patientia, quibus humo-rem accipit et reddit. Excremen-tum enim nullum in eo spectatur, quale in caeteris Ostreis, vel Echi-naeum, vel quod papaver vocatur. Dissecanti ea tibi primum occurret membrana nervosa Carnaceo cor-pori obducta.

Hac enim, corpulentum tethyi continetur: idque a caeteris omnibus dissimile; suo in genere omnibus similis ejusmodi caro. Haeret hoc duobus locis et membranae et corio ab latere: quaqua haeret utraque parte pressius est: quibus partibus tendit ad meatus ipsos, qui proti-